Speronowicz Joach: Charites Lechiae Caeciliam Renatam in Polonarum Reginam destinatam Cracoviae primum consalutantes.



CHARITES LECHIACÆ:

Boni ominis & perennis felicitatis gratiâ

SERENISSIMAM

CÆCILIAM RENATAM

Ex Domo Austriaca Imperatoria, &c. &c.

in Poloniarum Reginam.

VLADISLAO IV.

POLONORVM & SVECORVM, &c. &c.

REGI Potentissimo diuinitus destinatam

Reuerentissimè Cracouiæ primùm consalutantes: & mox eidem vnà cum Proceribus amplissimis Varsouiam in comites adiunctæ.

Quas

& cohonestandæ Sacrorum Connubiorum solennitatis, & debiti cultus ac demissorum obsequiorum gratiâ.


M. Ioachimus Speronowicz, Coll: Min: Philos. Doctor, cultu quo esse potuerunt, felices ire iussit.

CRACOVIAE,

Ex Officina Typographica Francisci Cæsarij, Anno D. 1637.



Ascia prælustri splendet peracuta nitore,
Atteritur fido pro Patria obsequio.



Illustri & Magnifico Domino,

IOANNI

De Szczekárzowice

TARŁO,

Palatinidæ Lublinensi, Aulico Cubiculario S. R. M.

Domino ac Fautori Colendissimo.



Harites meas officiosas, Tuæ Illustris & Magnifice Domine singulari prudentiæ, deuoueo protegendas. Illas quidem Cracouiá Varsouiam, ad spectandam S. R. M. sacrarum nuptiarum celebritatem, ire iussi auspicatas. Gratiæ sunt, præter gratitudinē nihil aliud spirant, & vnà cum amplissimis Ordinibus, in eo vel maximè contendunt, vt qua ratione possunt, publicam hilaritatis accessionem accumulent. Quem verò illis in lucem & conspectum publicum deducendis honorarium quærerem protectorem, quàm Tuam excellentem virtutem, grauitatem, industriam, humanitatem, maturitatem, morum eximio splēdore suprà ætatem decoratam. Hæ profectò sublimes virtutes, amorem Tibi Serenissimi Regis Domini nostri Clementis. conciliant, eò quidem magis, quò plures ac difficiliores cum sua S. R. M. expeditiones, temporibus difficillimis, honorificentissimè obiuisti. Quid enim? nonne formidolosa cuiquam videbatur Moschouitica expeditio? te tamen illa nunquam

à S. R. M. absentem vidit; vt nulla te incommoda percellentia inde abstraherent? Nec minus alia contrà Abazibasam plena terroris, plena dubiæ dimicationis profectio; tuum tamen animum nihil deterruit, paratum fortunam quæcunque consequeretur sustinere. Verum & Prussiaca te traxit non inuitum, qui ita statueres, tuam virtutem ista quoque ætate tum S. R. M. Domino suo Clementiss. tum obsequiis Patriæ charissimæ probari oportere. Vidit S. R. M. hoc in Te studium tam insigne, & cursum ad laudem, quæ Patriæ impenderetur obsequijs: idcirco primo quidem Leopoli Lublinum, suo sacro nomine in causis certò sibi ad Ordines commissis, Tua Virtute & operá vti voluit, ac eandem iterum Opatouiam, ad simile obsequium destinauit. Iam quod nomine Ordinum ad Comitia minora, bina felici legatione functus es: ac iterum nomine eorundem, ad Generalia Regni Comitia ad S. R. M. Nuncius iuisti: hinc elucet clarissimè, quid S. R. M. quidue etiam communis bonorum existimatio, de Tuæ virtutis & industriæ præstantia singulari constituat. Quæ bona ita sunt priuatim Tua, vt magnam illorum partem Patria, magnam Illustriss: Parens qui Te Reip. reddidit; magnam Academia nostra, quæ Te studijs suis fouit & nutriuit; iure suo repetãt, vel potius amplius ad laudem Diuinam in Te vberrimè efflorescere expetant. Vige & flore feliciter, pulcherrimum Polonæ Nobilitatis ornamentum, crescas imitatione virorũ in Rep. iudicio graui & salutari sententiá summorum, in Ciuem Reip. & Regni dignissimum, ac Domus Tarlouianæ decus amplissimum.

Illustris. & Mag. Dñationis Tuæ
addictissimus
M. Ioach. Speronowicz, Coll. Min.



CHARITES LECHIACÆ.



Vando non solùm subiecti populi, sed etiam exteræ nationes, propter sacram Regiarum Nuptiarum solennitatem animis recreantur: fas est singulorum animos, etiam nostros qui mansuetiorum sumus cultores disciplinarum & artium, in hunc tam sanctum officij cultum, & magnæ loco pietatis habendam consuetudinem, omnis æui memoria confirmatam, maximo conatu & studio incumbere promouendam. Rege namque Poloniarum inuictissimo VLADISLAO IV. qui prius Regales coronas quam est adeptus frequenti illa pro Patria & Regno deuotione meruerat: Serenissimam CÆCILIAM RENATAM Domus Austriacæ peraugustæ, Reginam in sacrosancta Regni & genialis thori consortia honorificentissimè acceptante, ac splendore & apparatu Regio, ex patrio imperio in suum regnum tanto gentium nobilissimarum, & Ordinum regni amplissimorum deductam accipiente, nuptialesque dies complures ex instituto Regia magnificentia celebrante, quis tandem omnium nostrum reperietur? qui quantum in se positum est, tanta recentis regno felicitatis accessione non lætetur, Regiq; potentissimo Dominam & Reginam consortem Regni, non ea qua iustissimum est intimi affectus ac demissionis promptitudine congratuletur. Equidem publico totius

Regni nomine ac voto communi, gratulationes frequentandæ. Hæc enim multum diuque in diuturna orbitate ac mærore exoptanda Principum cæli Planetarum exorta coniunctio, nihil aliud quàm laudis & gloriæ ampliorem Regno florentißimo acceßionem, genti Polonorũ liberæ ac bellicosæ maiora contra suos hostes firmamenta, fructum denique stirpis Iagelloniæ Regnorum vsibus & sceptris relicturam se pollicetur. Sol equidem Rex Planetarum quando cælibem vitam agit, & solitarius est, esto ita sit natura sua omnium lucidorum lucidißimus & clarißimus, vt nihil omnino de aliena claritate somniet participanda, tamen sine mutuo lunæ conspectu, & per vices redeunte consortio nunquam ita vt est serenus & benignus videretur, sed ardore suo maximo, propè omnia sublunaria faceret exarescere. Quod si vniuerso cõseruando, ita est necessaria lunaris influxus benignitas, vicißitudine gratißimâ rerum incrementis, & vitæ apprimè vtilis refocillandæ, multò magis Regnorum diu feliciter conseruandorum exigua vel nulla quandoque spes conciperetur, si quemadmodum Reges ad Martem & victorias continuas vel inchoandas vel continuandas nati sunt, ita nunquam de sacro coniugio, de spe stirpis regnorum & nationum gubernandarum causa relinquenda cogitarent. Propugnatore ac Monarcha nostro inuictißimo, post istam exactam ætatem, quam Deus illi faciat florẽtem, diu firmam, & beatam, post maximos pro Patria labores exanthlatos, vel sanctißima Parentis sui olim Regis potentißimi memoriâ, contrà Turcarum perfidiam, vel ab illo die, quo ipse post obitum Magni Parentis, faustißima omnium Procerum & Ordinum Regni

accla-

acclamatione, in Regem Poloniæ inauguratus, mox caput ſacrum pro ſalute communi, pro ſtatu Regni ampliſſimo, contra Moſchum proditorem obtulit: poſt iſtos inquam labores, aſperitates, incommoda cæli inclementiæ, itinerum longiſsimorum, bellicæ fortunæ variantiũ magna formidine euentuum: tandem diuina voluntate in animum inducente, vt tum publicæ neceſsitati, tum Regiæ dignitati conſeruandæ, amplius ſe totum impenderet, annuentibus omnibus Regni Ordinibus ampliſsimis Sereniſsimam CÆCILIAM RENATAM FERDINANDI Secundi Sacratiſsimi Imperatoris Filiam, lumen Auſtriacæ Familiæ præclariſsimum, in Coniugem ducit cariſsimam. Quis ergo iam vſque adeò frigidus erit rerum tantarum æſtimator? quin iubente communi Regni gaudio, ipſe quoq; claram ſolennis lætitiæ ſignificationem quantum poteſt relinquat conteſtatam. Ratio quidem rectè conſtituta, libenter in eam concedit ſententiam, Maieſtatem & amplitudinem tantam, quanta Regum eſt in terris, omni poſt Deum Opt: Max: cultu & veneratione proſequendam eſſe. Reges enim cæleſti voce ac lege diuina eliguntur, in quorum vita, factis, cõſilijs, Supremi Numinis vis & poteſtas, iuſtitia, clementia, fortitudo, magnanimitas, beneficentia, ac reliquæ omnes virtutes Regiæ fulgent clariſsimè. Prudens & cauta illos antiquitas, nequaquam generis mortalium communi ſorte & loco eſſe voluit, ſed tanquam Deorum ſuſpexit alumnos, quando eos in ſolio ſublimiore collocauit, & tanquam Ioue editos, magno & vero cultu voluit honorari. Nos qui Deos fictitios mera figmenta reputamus, illud pro vero ſtatuimus, maximum in Reges cæleſtis

ſtis

ſtis prouidentiæ documentum eſſe, peculiarem ac perennem illorum cuſtodiam, qua à multis communium malorum procellis, quæ in omnes alios ſibi quiduis permittũt diuino beneficio conſeruantur. Accedit quod ad eminentiſsimam ſummæ dignitatis prærogatiuam, acceſſerũt illis eadem cæleſti indulgentia & benignitate, coronæ quibus eſſent auguſtiores, tabernaculum, quo conſpectiores & ſublimiores, ſceptra, quibus libertatis amantiores & vindices acriores, gladius, quo maiores regnorum & populorum propugnatores haberentur; demum leges, arma, prœmia, pœnæ, quibus ſubditorum in ſe amor, fides, pietas, reuerentia in officio continerentur. Hæc omnia nos meritò incitant, vt in Sacra Sereniſsimi Regis VLADISLAI IV. Domini noſtri Clementiſsimi nuptiarum celebritate, qua maxima poſſumus animorum, lætitia perfruamur. Cuncti equidem iure optimo ex animo lætamur, & auſpicatiſsima connubiorum fædera, ominis boni pleniſsimis acclamationibus proſequimur: Sed præcipuè mater noſtra Tua Rex inuictiſsime alumna & cliẽs fideliſsima, Academia Cracouień. Tuo iſto ſanctiſsimi Coniugij Sacramento mirum in modum recreata, & ſuauiter vndiquaque refocillata, temperare ſibi nec potuit, nec verò Tuam toties in ſe experta pietatem debuit, quin quo poſſet conatu & ſignificatione animi, Tuam iſtam ſolennitatem genialem, Tuos iſtos dies toti Regno exoptatiſsimos & feliciſsimos ornaret, prædicaret, & quocunque tandem modo conceſſum eſt, ex animo cuperet eſſe ad omne poſteritatis memoriam ſempiternos. Illa quidem vel pro recentiſsima Tua beneficentia, quam in priuatarum ſcholarum magnifica & Regali ſtructura experitur,

peritur, pro Tua diutiſsima & florentiſsima incolumitate, ad altaria tremenda Domini, demiſsè vota perpetuò fundit altiſsimo, eaque vel ardentiſsimè ad beatiſsimum Patris & protectoris noſtri D. IOANNIS CANTII ſepulchrum concipiens, illud precatur obnixè, vt Te Optimum Monarcham, vnà cum conſorte Regni Sereniſsima, Senatu ampliſsimo, equeſtris ordinis digniſsimis Proceribus, populis, ciuibus, ciuitatibus, tota Rep. per dies quam plurimos optimos & feliciſsimos incolumem & beatum ſua apud altiſsimum intercesſione ac patrocinio faciat perennare. Te quoque ô Regina Sereniſsima, eiuſdem deuotionis & pietatis memor Academia noſtra, in publicarum conſalutationum confertiſsima iſta frequentia, promptiſsimâ demiſsione venerata, tuam dexteram oſculo excipit ſanctiſsimo, precari non deſinens, vt ingreſſus iſte Tuus primum in Vrbem, in Regno primariã, deinde in regnum vniuerſum ſit eidem Regno fortunatiſſimus, vt conſpectus Tuus placidiſsimus qui quaſi lunæ ad ſolem ſuum, inuictiſsimum Regem noſtrum conuerſus, omnia nobis pacata, benigna, deſiderata, polliceatur. Optamus inquam reuerentiſsimè, vt vno agmine confertiſsimo, pulcherrimo, Tecum in regnum veniant, virtutes omnes præſtantiſsimæ, & Heroina Regali conſortio dignanda digniſsimæ. Mille ingrediantur humanitatis, clementiæ, gratiarum fauores, quibus fideliſsimorum ſubditorum deditiſsimis obſequijs, ratione qua par eſt Reginam Polonorum, velis reſpondere & magnoperè gratificari. Noſtrum erit omnium, à ſupremo Numine precari, quod maximè volumus impetratum, vt ſumma

illius gratia & benignitas, quæ priusquam nata fuisses Regno, Te isti amplissimo Reginam designabat, Tuis omnibus votis ac desiderijs, pro sacro Regis Optimi capite, pro incolumitate & successu exoptando rerum Tuarum à Te conceptis; dignetur adesse, Te bonis omnibus accumulans, Te pulchra & regnorum olim digna Coronis prole faciens beatissimam.

Sed ecce prima Charitum Aglaia vultu decoro, oris dignitate modesta & læta prodit, ac demissa facta prono in terram capite adoratione, Te Serenissima Regina sic salutando alloquitur:

Austriacis Regina potens quæ surgis ab armis
Inclyta magnanimo maiorum sanguine virgo;
SARMATICI salue consors augusta Monarchæ.
Lumine clara graui, & vultu, virtutibus altis,
Indole magnanima, pretioso clara pudore,
Morum & natiuo titulorum clara decore,
Cæsareaq; Domo: quæ lustris mille coruscat
Ac totidem fulget sublimibus ardua factis:
Quorum palma frequens aduersos fortiter ausus
Proterit & solitos digna est geminare triumphos.
Gloria pro quibus est toti sua cognita mundo.
Sarmaticæ gentis lux, & spes aurea salue,
O Regina Tuo dignissima Rege marito.
Quo cum (demissa à Superis quod mente precamur)
Læta serenatas feliciter exige luces.
O decus, ô pretium quod non præstantius vllum,
Post Regem Dominum bellator Sarmata fido
Poplite & obsequio veneratur, fausta venito:

Præsi-

Præsidiis comitata Dei, comitata Senatus
Summo consilio, maiestatisq; decore,
Nobiliumq; choris, Procerumq; nitente corona,
Ordinibus lectis auro radiante caterua.
Succedunt acies galeis, armisq; decoræ,
Militis egregij cristato vertice turmæ,
Cum quibus auderet quisquam decernere ferro!
Nos quoque ritè Tuæ comites adiungimur aulæ-
Quæ sumus obsequijs Charites Regina paratæ;
Demissa autorem regnorum voce precantes,
Vt Tua felici consortia sorte secundet.
Ergo veni exoptata diu post nubila luctus
Tempora perpetui, tempestatesq; sonoras,
Post multas regni lachrymas, ex morte Parentum
Regum confecti, quos alto gloria cælo
Subuexit, iussitq; beata sede morari.
Tu noua lux veteres animis depellere curas,
Tu potes hoc cælo vultu radiare sereno:
Cynthia lætitiæ soli coniuncta Polono,
Lætius assurgant sublimibus aurea cæli
Pegmata verticibus, vicinaq; sydera terris
Magne Polone Tuis. formoso lumine Titan
Rideat auricomus, solito non astra triumpho
Sed maiore suas euibrent vndiq; flammas.
Tuq; poli vertex, à quo gens clara Poloni
Dicta viget, factis, libertatisq; decoræ
Præsidijs; facias ludentes dulce Triones.
Gratior ecce bonus consurgit ab æthere Phœbus,
Gratior auroræ roseus blanditur amictus.

Astra sereniferis gratantur lucida ocellis,
Quando Sarmatico primaria sydera cælo,
Luce noua rutilant. Regnum lætare Polonum:
Fulgent orbe tuo duo sydera, Cynthia Phæbo
Iuncta comes graditur; solis mirata decorem,
Miratus pariter Lunæ Sol noster amorem.
Spargite iàm radios gemmantia sydera vestros,
Collustrate diu spatiosum lumine mundum,
Nostraq; vitali perfundite clymata luce.
Ludite Vandalides mea gaudia ludite Musæ.
Personet Aonio modulamine clara vetusti
Craciadum populis cum Regibus ora Vauelli:
Ad solenne decus, meritosq; accedat honores,
Quidquid non solitis recrearet pectora votis.
Quando Sarmatici Proceres ad gaudia, plausus,
Signaq; lætitiæ, currunt solennia, Magni
Regis, & optatos certatim ornare triumphos,
Hoc splendore parant, quo fas pietasq; Monarchæ
De Patria meriti, prisco præscripsit ab æuo.
Ludite Vandalides mea gaudia ludite Musæ,
Pandite sublimi connubia sacra cothurno.
Quàm Regina Tui prælustria gesta Mariti!
Qui genus, & proauos, antiquo ducit ab ortu.
Rerum magnanimâ VLADISLAVS stirpe Iagello,
Fortis bellator, fortunatissimus Heros,
Quem pia syderei complexum cura Tonantis,
In solio Magni voluit regnare Parentis.
Vidisses illum, primis cum surgeret annis,
Phæbum vidisses, Eòis cum citus oris,

Aurea cornipedum retinacula fundit equorum.
Cedris vel palma iuuenis formosior ibat.
Vidimus exactis ter senis circiter annis
Florentem iuuenem: sanctas adstabat ad aras,
A Genitore suo sedes quem tertia habebat.
Imperio iam dignus erat rutilantibus annis,
Dignus auis, atauisq; suis, patrijsq; coronis.
Mox cum Moschiacis vrgebant bella procellis
Rem Patriam: sacri Genitoris castra secutus,
Promptus in arma ruit, magno virtutis amore,
Armigero terrore potens, spes vnica Patris
Conspicui; sceptris & maiestate, potentis.
Qui pia pro nato prece blandâ Numina flectit:
Fulmineum seruent iuuenem, solatia Patris,
Spemq; caram Patriæ, puerum, qui prima subiret
Pugnarum rudimenta minax: his adijcit illud
Militiæ virtus ne quando tanta quiescat,
Sed Regno prosit Patrio, poscentibus annis.
Hæc Pater. At natus galea, clypeoq; decorus,
Exultante animo, fulgentibus ibat in armis,
Æratas acies inter formosior omnes.
Mirata est iuuenem posito Bellona furore,
Picta genas, hastam dextrâ clypeumq; remittens.
Mars quoq; dixit: Erit meus hic insignis alumnus,
Dignior antiquos inter radiare Dynastas.
Quem post mille graues pro cara gente labores;
Æternum gemino cantabit gloria mundo.
Sed quid in arma feror, quid prælia mente reuoluo,
Quid bona sanguineis consumimus otia bellis?

Ludite Vandalides, mea gaudia, ludite Musæ,
Quo duce sublimes animi properamus in ausus,
Pulcher Apollo faue: gemmantem carmine læto
Fac resonare Chelyn: prædulcia vota loquentem.
Quo desiderio diuturnis anxia curis
Suspectabat amans, sociandi fœdera Regni
Patria: post multas en aduenit aurea tandem
Lux releuans curas, & quæ solatur amantem,
Fortunata venit gressu Regina beato.
Fulgeat illustri, sertum virtutis honore
Desuper impositum capiti, quod pulchra reuinxit
Gratia, millenis virtutibus ampla serenis.
Ludite Vandalides, mea gaudia, ludite Musæ,
Salue sydereis decoratum dotibus agmen,
Heroës, quos lecta dedit Germania, nostro
Vicinos regnoq; beata sorte locauit.
Quos sua laus summo illustres subuexit Olympo,
O magni saluete Viri, socijq; Poloni,
Quos non ambiguè vestros habeatis amicos.
Nam modo quæ vestra est pietas, candorq; fidesq;
Cæsareaq; domo reuerentia digna sacratâ,
Clara boni documenta datis; quo sitis amore
In Regnum, Regemq; simul, Proceresq; Polonos.
Quando Lechiaci Coniux clarissima Regni,
Ducitur à vestris primoribus atq; Dynastis;
Quo splendore decet comitatam Cæsaris almam
Progeniem: obsequijs faciles cultuq; probatis.
Quod genus officij, defixum mente manebit,
Fortia Sarmatæ firmando pectora amore,

Ludite

Ludite Vandalides, mea gaudia, ludite Musæ.
Limpida Pontifices vitreo de fonte feratur,
Palmis vnda pijs, loti reuerenter ad aras
Numinis æterni consistite, mente quieti:
Tempora diuinis redimiti ritè tyaris
Atq; eat in cælos sublimibus hostia votis
E manibus puris: cæli regione vocata.
Gratia larga nouis alto poscatur Olympo.
Coniugibus; sanctoq; animos populetur amore
Primitias Domino prompti statuatis, & ijdem
Flectite sollicitis precibus pia Numina, votis,
Imperium florens vt conseruetur ab hoste
Bisthonio, crebrò validas moliente procellas!
Vt sua VLADISLAVS Rex inclytus, atq; RENATA
Consors, felices regnando temporis annos
Connumerent, olim Regali prole beati.

Hæc vtinam vota omnium nostrum animis concepta, summa æterni Imperatoris annuente benignitate adimpleantur. Quæ enim bona maiora, desiderio sanctiore possumus exoptare, cum Sereniss: Regi nostro; & peraugustæ Reginæ, tum Patriæ & Regno vniuerso florentissimo, quàm vt immanissimi hostis & Tyranni, frequentem insidiatricis versutiæ calliditatem; qua ad omnes excubat captandorum regnorum opportunitates, excelsi dextera & virtus, diuinissimo suo præsidio auertat & reprimat: quàm vt summam beatiorum temporum sortem & tranquillitatem consecuti, studia pacis, concordiæ, virtutum omnium, ad honorem Diuinum excolentes, singuli artes & operas nostras ad eas cogitationes referamus,

quæ

quæ ciuitates imperiorum, & Respub. efficiunt beatissimas: tandem vt vnà cum exordijs sanctissimi istius matrimonij Regalis, in eam spem Regnum concedat vniuersum, ex hoc nexu & vinculo affinitatis Austriacæ confirmato, prolem Diuina gratia & voluntate Regiam, quæ in spem regnorum Europe concedat non defuturam. Quæ singula benè atque feliciter cupimus euenire, & quantis possumus desiderijs apprecamur. Nunc dies sacros connubiorum, pietate hoc à nobis in conseruatorem Patriæ exigente, qua maxima possumus festiuitate, applausu, acclamationibus vitam felicem ac diuturnam vouentibus, omni deniq; studiorum, omni congratulationum pompa & frequentatione celebramus. Qua animorum hilaritate multo omnium gratissima & exoptatissima, si quis animo non commouetur, procul isthinc exulet, eat quantocius ad Garamantas, citò, citò, eliminetur, dispereat. Reges Parentes & propugnatores nostri sunt; cum illis in aduersis mærore conflici; in lætis & prosperis, lætari decet maximoperè. Erat hoc diu in vobis Regni Poloniæ florentissimi, vt post solennem illam S. R. M, inaugurationem, Cracouiæ in Vrbe, in Regno Principe, Anno suprà millesimum, sexcentesimum, Trigesimo Tertio, Sexta Februarij felicissimè celebratam, & qua decebat Regiam Maiestatem solennitate peractam, de Regia consorte Regni necessario ornamanto, & maximo præsidio, summa fide & contentione Ordines Illustriss: cogitarent. Sed ecce tandem illuxisse tempus maximè omnium exoptandum aduertimus, quo tanto splendore, tanto comitatu, Regia con-

iuge

iuge dignissimo, tanta ad congratulandum, ad inseruiendum Regni vniuersi effusa promptitudine & alacritate animorum, tanta publicæ Maiestatis & Regni, cohonestandi æmulatione, contentione, tot passim Ordinibus vndiq; concurrentibus, tot iterum à fronte, à tergò, Nobilium & Procerum studijs accurentibus, vno verbo tota Regni vniuersi in occursum festinante amplitudine (exceptis duntaxat optimis Ciuibus & cohortibus lectissimis pro salute Patriæ ad fines Podoliæ excubantibus) Serenis. CÆCILIA RENATA Regina Polonorum VLADISLAI IV. consors Augusta summa omnium gratitudine, demissione, excipitur, consalutatur. Hæc si alicui non maxima laudis & lætitiæ argumenta videantur, nulla vnquam maiora & pulchriora se crediderit experturum. Quæ enim communibus omnium votis expetuntur, ea necesse est illustria sint, splendida & magnifica, atq; extrà omnes mæroris & aduersitatum nubeculas posita; idcirco lætissima, gratissima, omnium exoptatissima. Maximarum gentium publico, & communi consensu ad cõmunem inclinato lætitiam; Cæsaris & Regum inclyto sanguine in sacrata fęderis exoptandi eunte consortia; diu exoptatâ illustri voluntatum colligatione mutuas sibi obsequiorum, & beneuolentiæ significationes, & studia sacrosanctè ac laudabiliter promittente, confirmante; sanè iàm nihil deest, quod ad splendorem Regni illustrius, ad æternitatem gloriæ, & fructum laudis capessendum, excellentiùs, iucundiùs, ad immortalium factorum & rerum gestarum memoriamq; nominis conseruandam, cogitari posse videatur magnificentius, sublimius. Bellicæ

 lau-

laudes magnæ sunt illæ quidem, sed luctuosis frequenter redundant purpuratæ cruoris humani eluuionibus, in quibus male sana fortunæ temeritas, tantùm sibi potest & solet arrogare, quantum non sæpè virtus animosa audeat postulare. Verùm agatur res summo consilio, acerrimo prudentiæ militaris oculo, maxima, minima, circumspiciantur bellorum incommoda, feliciter pugnando cũ hoste, ac fortiter dimicando vincamus, hostes primores catenatos abducamus, ad currus trophæis destinatos magnificè circumponamus, habenis & locis circumquaque colligatos, currum trahere patiamur, quis tamen illo spectaculo tantùm lætabitur, quin simul in aliam partem reflectat animum, ad commiserationem captiuorum, bellorumq; artes vocet iniquas & crudeles, quæ tantùm cõditionis humanæ dignitatem, & naturam animorum cælo debitorum natura sua quodam modo exuentes norint deprimere atq; deprauare. At hic nulla extat cruenta dimicatio, nulli occurrunt victores laureati recenti sanguine formidabiles, omnia pacata, tranquilla sine vllo næuo tristitiæ veri gaudij plenissima. Si quæ sunt animorum vincula, & iucundissima colligatio; hæc tota propendet ad confirmandam concordiam, ad renouandam veterem amicitiam, ad fædus & consensionem perpetuam ineundam, contrà barbaros, contrà hostes incredibili odio Regni deflagrantes, contra omnem fraudem & proditionem impetu furibundo ex aduerso inuolantem, & quod omnium primum est & maximum, ad propugnandum cultũ Diuinum, & honorem supremum, ad Religionem veram Catholicam S. Romanæ Ecclesiæ authoritate firmatam,

promo-

promouendam & amplificandam. Hæc si parua sunt, quibus nihil est sub sole maius, quid tandem magnum & præclarum erit? At verò hæc maxima sunt, idcircò maximã præbent lætandi occasionem. Hinc meritò incitant animos ad congratulandum, tum ad summam Deo Opt. M. gratiarum actionem persoluendam. Cracouia quidem Regni Metropolis, quantum recreata gestiat ex aduentu & conspectu Reginæ desideratissimo; verbis ego non facilè expressero, verbo dicam, quidquid in se continet pretiosum & magnificum, quidquid visendum, & oculis Serenissimæ Reginæ dignissimum, id totum reserat, recludit, quo magis testatam cum demissione obsequiorum suam relinquat animi gratitudinem. Quid autem habeat post Deum pretiosius, quàm gemmas & vniones Sanctorum Corporum & Reliquiarum longè omnium præstantissimos & beatissimos, ad quos vrgentibus quibusuis aduersis tanquam ad asylum incolumitatis & arcem bonæ fiduciæ confugit tutissimam. Istis rosetis & rosis suis odoratissimis nihil est tota ista vrbe post honorem Dei ac Deiparæ Virginis maius, nihil sanctius, nihil quod in conspectu Domini, pro Regni statu vniuerso, & incolumitate odorem fundat omnium gratissimũ, & suaueolentiæ fragrantia selectissimum. Luminare maius istorum est D. STANISLAVS Episcopus Cracouieñ. factus Martyr pro gloria Dei & veritate gloriosissimus, Phænix Episcoporum, & norma ac regula vitæ, & omnis perfectionis eorum. Regni SARMATICI Protector ac Patronus apud Deum feruentissimus, beneficentissimus. Mons Vauelus antiquissima Sedes Regum & Monarcha-

rum Polonorum, ſacroſancto illius Reliquiarum honore decoratus, ſe ipſo eſt ſplendidior & anguſtior, iſtiuſq; theſauri ſacroſancta depoſitione orbi vniuerſo clariſsimus fama redditur, & prædicatione ſempiternus. Eia Regina Sereniſsima, quæ Tua & Auſtriadum pietas eſt, non obſcura, pro feliciſsimo rerum Tuarum ſucceſſu, sîc ad tumulum magnificâ beneficentia coniugis Tui Regis VLADISLAI ex argento puro conflatum, hîc inquam vota Tua mente ac ſpiritu feruidiore funde altiſsimo; quò feliciora Tuis progreſsionibus apud Dominum præſidia impetret, ac ipſe quoq; Patronus vitæ ac Coniugij Tui, & omnium actionum velit eſſe præſentiſsimus; in vota propitia, Regali Tuæ mentis demiſsione inclinatus. Circumſtat hunc Clerus ſublimioris dignitatis, Epiſcoporũ Regni Poloniæ ſeminarium, Perilluſtre Capitulum, imò Capitolium Eccleſiæ Cathedralis Cracouień. Prælati Canonici præcipua pietatis in Deum luminaria & ornamenta, quorum ſinguli quid volunt aliud, aut in quo præcipuè contendunt, quam vt quemadmodum ipſi ſunt Vrbis Eccleſiæ Cathedralis pars primaria, ita primario Reginam & Dominam ſuam cultu & honore proſequantur: illud adiungentes, ſe fore atq; iam eſſe, apud Deum, & ſanctum, Præſulẽ ſuum pro ſacro Tuo capite, proq; communibus cũ Sereniſ. deſiderijs feruentes Oratores. Succedit Mater mea Iagelonianа Academia, Quid enim? illa ne ſola taceret, aut ad hanc ſolennitatem ornandam non promta accurreret? Nihil minus cogitandum eſt, non vſque adeò ad vitę ſolitudinem & inſenſibilem quandam feritatem proiecta eſt, Stoicam illam ſeueritatem non ambit,

ſed

Sed Socratica magis delectatur amænitate. Est enim domicilium & magistra virtutis, officiorum, disciplinarum omnium, nouit benè quid cuiq; honoris impertiendum sit, multò magis Regis Optimi & beneficentissimi, ac suæ Coniugis Augustissimæ solennitati condecorandæ, quantùm debeat secum facilè recognoscit. Optat quidem certè atq; cupit ex animo; idemq; à Deo O. M. Beatissimi Patris sui & Patroni ope ac subsidio adiuta precatur, vt Regno Poloniæ suus splendor, dignitas, & felicitas maneat perpetuo: vt Serenissimo Regi Domino nostro Clementissimo, vnà cum Serenissimâ Regina, tum iste ad sacrum Coniugium ingressus, tum progressiones omnes, optatissimis desideriorum euentis & successibus respondeant: vt virtus altissimi & gratia, quod cuncti supplices imploramus; vtriusq; maiestatem, & domum Regiam vniuersam, rore suæ benedictionis perfundat sempiterno. Præstò quoq; adsunt vrbis istius Viri consulares Clarissimi, ciues ac subditi sui Regis fidelissimi, omnes isti in hoc vnicum incumbunt, vt tum ipsi per se, tum per omnes ciuitatis Ordines, ingressum ô Regina Tuum splendore ac pompa solenni faciant celeberrimum. Eorum sedulitate & opera, lectissimæ iuuentutis Ordines, & agmina ornatissima, splendore quo possunt & cultu maximo, in occursum Tuum deducuntur. Plateæ omnes ad festiuitatem ingressus decorandam ornantur, arcus & portæ genialis diei indicia cælum versus eriguntur, Symphoniæ gratissima passim resonat harmonia, tubarum viuax concentus certatim interponitur, murmur tympanorum non infrequens, aures; faces, & ignes cælo sub-

 volan-

uolantes artificiosè proiecti, oculos præstringunt; hilares plausus, ouationes, acclamationes faustæ, & bonorum plenæ verborum passim exaudiuntur. Iàm vero Clerus in tanta ac tam pia Vrbe tot Ecclesiarum numerosissimus; nonnè feruenti precum ope aduentum & Coniugium tantum Domino commendat? Quid tot Familiæ Religiosissimæ! eorum qui se peculiariter votis arctioribus æterno Dei seruitio mancipauerunt, nonnè pias preces fundunt, & vota feruenter concipiunt? quibus mota summa illa Maiestas, ac in benignitatem inclinata fortunatissima rerum tantarum initia, & omnes in Regno successus optabiles elargiatur. Ita vniuersam Cracouiam, cum suis omnibus Ordinibus, ex aduentu & conspectu Tuo amplissimo, incredibilis gaudij & lætitiæ bono perfrui par est; lætamq; effundi in occursum magnificum, & quidquid posit ad solennitatem excogitare, decorandã. Sed illa mox inuita, & oculis præ amore lachrymantibus, Te ex complexu suo discedentem intuebitur, & vni⁹ diei ex conspectu Tuo Serenissimo tanquam Pyraustæ gaudio recreata, Te suum delicium, dictu mirum quantò affectuum & animorum desiderio prosequetur. Stetit enim per sapientissimam Serenissimi voluntatem, Senatusq; ac Ordinum Regni consensum communem, vt Varsouia Regiarum Nuptiarum solennitate (inuidente sibi Vrbe principe) ornata & recreata perfruatur. Progredere igitur felicissima, ex hoc antiquo Regum Polonorum domicilio, Vrbeq; clarissima, in illam quæ nostris temporibus ob summas Regni & Reipub. commoditates à Polonorum Rege incolitur ciuitatem, in ea dies felicissimos

quam

quam plurimos beatissima exige, in ea ad sacra nuptiarũ ac dies geniales, ea qua par est Regni gloria atq; celebritate, magnificentia peragenda ingredere, in ea inquam Regni sede atq; vmbilico, omnibus vndiq; diuinis circũfluas florentissima benedictionibus, ad vota animi tui fluentibus. Hæc dum nos votis & studijs ardentissimis concipimus; altera Charitum Thalia præses viriditatis nomine Cracouiæ, Serenissimam Reginam ad manendum diutius inuitat, quod cùm præstari non posse aduertit, ipsa amplissimo Serenissimæ Comitatui adiungitur.

O quæ canto bona, ô diem perennis
Plenum lætitiæ, bonum, auspicatum.
Lux hæc vel niueis nitescat auris,
Vel seclis radiet notanda seris,
Qua Regina tuas Vauelle visit,
Fausto diuitias ocello & auras.
Sacris diuitiis opes beatas,
Sancti Præsulis, ô beatiores
Auro, Chrysolitis, opes Beryllis.
Quas supplex veneratur ore, mente,
Lux hæc sidereas eat per arces,
Qua Regina nouam reuisit Vrbem,
Fausto sydere conditam, vetusti
Craci, templa notat benigno ocello,
Summa ex arce procul virore gratam,
Quâ Varsoua iacet pererrat oram.
Sed quis nuncius aure pulsat ima?
Quæ vox spargitur haud mihi audienda?
Discedit mea lux, decus beatum?

Diſcedit? mihi nuncij ô dolendi
Feſtinat decus Vrbis & Vauelli,
Arcem linquere triſtis ô Vauelli.
Quo triſtes animi leuabo curas!
Vix dum mirifico refecta plauſu.
Diſcedit mea lux decus beatum?
Quæ me ſollicitam perambulabunt,
Cum luctu lachrymæ dolorq; acutus,
Diſcedit mea lux relinquit orbam!
Me Regina relinquit? & Penates
Optandos graditur, celer videre?
Ibunt ergo mei meo decores?
Conſpectu procul & citis recedent
Iam iam greſſibus? alta iam reuiſent
Arcis culmina ritè comparatæ.
Quo tandem celeres mei decores?
Quo pulchro properatis ire curſu,
Cælo Craciadum? relicta flebunt
Pulchri pegmata ceſpitis ſacrata,
Flebit mæſta ſui decoris expers
Vrbs antiqua, ducis potens vetuſti.
Quo tandem mea lux beatiore
Quo lux aurea quo gradu recedis
Quo tandem mea lux decora pergis?
Sic vos Craciadum rogatis oræ
Primores animis & ore prono
Auguſtum decus arce tam vetuſtæ
Tam ſancta maneat decus rogatum.
Si quid vota pia valere mente,

Con-

Conceptusq́ animi labor precantis
Possunt, supplice voce comprecamur.
Cursus tam celeres parum retarda
O Regina, Parens amœna, grata,
Vultu magnanimo, parum morare
Grato Craciadum solo nitescens.
Heu nullis precibus mouetur alta
Mens, nec flectitur infimo rogatu!
Ciues pellite liminum supernè
Summo vertice pessulos morantes:
Optantem veniet Monarcha ad vrbem.
Sed fas non patitur quod ipse sanxit
Inuento violare non probando.
Da cœlum pluuias, manebit alta
Regina arce sui beata Regni.
Sed non proficio arte, nec precum vi,
Discedit mea lux decus beatum,
Heu me quam properè decus recedit.
Sancto germine, nata Virgo, Sanctis
Virtutum numeris decora, prudens,
Tanto Cynthia digna Rege sole.
Fulgens Cynthia solis ad Penates,
Lætos approperat, celerq́; vadit.
Sed iam quando lubet beata perge,
Lætos progredere alta per recessus,
I clarissima gressibus beatis,
Felicissima perge, quà Poloni
Rident solis opes, beata perge;
Tantis ecce comes feror triumphis.

Spectatrix eo clara, læta, prompta;
Iam visura lares beatiores.
Magni Lechiadum Soli Dynastæ
Formosum genus alta cura Diuûm.
Eia quo Dominæ potestis ausu,
Ornetis Pariјs iter Pyropis,
Et ostro Tyrio, & tapete picto,
Et quod Gaza recondit ima: lucem
Hoc totum aspiciat decore grato.
Musæ delicium chori quieti,
Diuæ Castalidum virore gratæ,
Cantus & Cytharas amæniores,
Cælo flectite personent Polono.
Primus pulcher Apollo voce pulchra
Cantus incipe: tum Chelys canorum
Toto personet æthere & recantet.
Te nouena cohors libens sequetur:
Sic cantu recreentur arua grato.
Quicquid sorte noua Parentis almæ
Naturæ fieri potest; agatur.
Campi purpureo colore grati,
Læti fundite flosculos olentes.
Vultu puniceo fauete colles,
Narcissos, violas rosas, corymbos
Passim deliciosa flora sparge,
Campis floreat omnis herba lætis.
Præstantes Zephyri impetus minaces,
Mandate esse procul, faue Fauoni
Flabris lenibus asper afflet Auster,

Stridens Africus, & Corus recedant;
Totum Etesia flabra iter coronent.
Lenes ô Zephyri Notiq́; flate.
Fauni cum Satyris casas inanes
Vestras linquite, serta ferte proni,
Baccis & teneris viam comantis,
Syluæ frondibus ocius virentem,
Pulchra nectite flexione & arte.
Læti diuitias beatiores.
Villarum date pace floridarum,
Fructus arboribus recenter actos,
Tantas lactis opes boni libenter
Ferte ô ruricolæ laborum alumni,
Amnes spumiferi lacus liquentes,
Riui quos vitreo scaturientes,
Fundit flumine fons benignus imò,
Montes arboribus siti decenter,
Horti, gramina, fertiles agelli.
Vestras singula nunc amænitates,
Porrecto ordine collocate: gressus
Qua Regina suos Polona flectit.
Quicquid terra ferax sinu beato
Quicquid continet hoc Regnum decoris
Innatum acceleret decori honorem.

Hæc Thaliâ Charitum alterâ in discessu, leuandi ex via mæroris causâ occinente, nos quoque boni & fausti ominis gratiâ tertio par est accinere. Tectis ergo iam Varsouiæ, & Arcis Regiæ magnificè collucentibus propugnaculis, tanto in summa fastigia splendore deductis, tum

deniq; redintegratis animos omnium gaudijs necesse est recreari, ac noua ex confecto feliciter itinere perfundi lætitiæ hilaritate. Varsouia quidem quæ ex paruis initijs propter Regum sacrosanctam Maiestatem, Senatus & equestris Ordinis dignissimam ad latera Monarchæ præsentiam, nunc vsq; eo sublimata inclaruit; dictu non est procliue, quantum noua propter aduentum Serenissimæ Reginæ lætitia colliquescit. Quid faceret aliud cliens in aduentu Patronæ, famula quando adest sua desideratissima Heroina, tanto tamq; solenni & festo comitatu in nouam deducta maiestatem. Meritò ciues optimi lætamini, meritò cum tripudijs & festa Symphonia agitis dies lætissimos, meritò hac vestra recenti sorte ac felicitate ex nuptijs S. R. M. obtenta, cum primaria regni vrbe in campum & contentionem descenditis, cum etiam cultu, splẽdore, apparatu rerum omnium, annonæ & eorum quæ vsibus vitæ humanæ inseruiunt sufficientia certatis & veritate. Eia lætissimis ergo omnes Ordinibus procedite, Reginam Augustissimam reuerentissimè salutate, eandẽque in Vrbem Regiam Regalibus ceremonijs, ac in arcem sua magnificentiâ Dominam suam inuitantem honorificentissimè deducite. Ecce tandem in loco destinato diuinitùs ô REGINA Serenissima constitimus. En ista est sedes Maiestatis Regiæ dignissima, in qua Serenissimo VLADISLAO IV. Coniuge Tuo deliciosissimo, Rege ac Domino nostro Potentissimo residente, vnà etiam residet subditorum in libertate maiorum suorum enutritorum, in suum Monarcham verus amor, fides, beneuolentia, cultus, candor, innocentia, & illa pietas,

quam

quam nullis vellent esse contaminatam maculis proditorum: residet vis & maiestas, quæ formidolosâ hostes acerrimos, cum Dei manus auxiliatrix voluerit, reprimere valet potentiâ: residet ea virtutis bellicæ & præsidiorum comparandorum commoditas, quam optamus diuturnam esse, & ad memoriam posteritatis commemorabilem. Felicissimis igitur in hanc Arcem auspicijs florentissima ac fortunatissima progredere, patent reclusæ portæ omnes, & Te Dominam post itineris non breuem defatigationem, ad conquiescendum tecta splendidissima inuitant. Nam & isti ipsi parietes domicilij speciosissimi, omnisque structura illorum pompose irradians, tametsi sensu carent, lætari tamen videntur, ac vultu sereniore ad conspectum & oculos Tuos pudicissimos arridere. Faxit æterna benignitas, vt Tu quoque annos ridentes, hoc est lætos & beatos experta; cum Monarcha nostro victoriosissimo, diuina eiusdem gratia & benedictione patrocinante circumfluas. Communi ergo ac toto Regno peruagata lætitia; ad eius accessionem facit quamplurimum; si quod olim in Græcorum conuiuijs institutum vigebat plausibile, apud nos hoc tempore summo studio renouetur. Illis in consessu publico virtutes, merita, laudes, & stemmata maiorum ad Cytharas decantare, instar magnę solennitatis erat: nobis idem in prædicatione vtriusque domus præstandum esset, nisi hoc ita grande videatur negotium? quod integram verius ætatem, & summo vsu rerum confirmatam eloquentiam postularet. De virtutibus quidem nostrorum sæculorum Regum & Imperatorum illud dicere fas est, splendorem earum ex ipsa diu-

 turni-

turnitate colligi & accreſcere. Quæ citò intereunt aut leui momento variant fucata ſunt; virtutis ratio æquabilitate longiore manet conſtabilita, & vt ille inquit æterna, claraq; habetur. Hæc bonorum tantorum prærogatiua, ſi vſpiam minimè fucata, & leui caſu mutabilis ceſpitat, id in domo certè Auſtriaca, & ſerie Iagellonianæ Proſapiæ clariùs perſpicitur. Variarent imperantes ſucceſsione, aut electione pro conſuetudine Regni aut Imperij, verum à ſolido curſu laudis nuſquam deflectunt, neque genuina maturitate defraudantur. Magnos mundus vniuerſus fuiſſe clamitat Pompeium Cæſarem, Scipiones, Decios, fortitudine, bellicâ prudentia, amore in Patriam, deuotione pro eius incolumitate: fateor Magnos fuiſſe, verùm ſi cum noſtri temporis ſummis Regum & Heroũ virtutibus conferantur, paulò minores erunt comparati. Sed ego geminam modo Familiæ ſublimitatem confero, Auſtriacam & Iagelloniam, & monſtro quaſi duos Planetas ſupernè collocatos; duo ſydera æqualis magnitudinis, non ficta vlla metamorphoſi, ſed vera & legitima affinitatum & Sanguinis coniunctione, tot annorum nexibus confirmatâ coiuiſſe, coaluiſſe. Diuina vtriuſq; initia, diuinæ progreſsiones, diuinus honor, & ſempiterna ſum̃arum virtutum & meritorum in vniuerſam Chriſtianitatẽ propagatio. Minores fortaſſe erant ſeipſis, amplitudine imperij, victoriarum frequentia; tam eminenti vt modo eſt Maieſtatis gloria: at virtute, magnanimitate, magnifico robore, Religione ac pietate; alijſq; pulcherrimis Imperatorum ſtudijs & artibus, hodie ſumma eorum nominis amplitudo, in omnes orbis partes deriuatur. Floruit

ſemper

ſemper Domus peraugusta Auſtriaca, vero in Deum cultu & ſanctitate promouenda, propugnanda, cuius quaſi quoddam ſymbolum eſſet perpetuum, quod ad conflictū atq; dimicationē deſcenderet pro Dei gloria potiùs, quàm pro amplificatione Imperij; & bella gereret, vt Eccleſiæ ſanctæ veritas, firmitas, vnitas conſeruaretur. Et Regnū Poloniæ cum ſuis Regibus, & ſi non vſq; adeò res omnes erant à principio cultæ, pompoſæ, magnificæ, nonnè tamen vbi eis primum lux eſt cæleſtis oborta veritatis, in eam multò amplius Principes & Reges ſui incubuerunt propagandam. Nimis aperta loquor, Baſilicæ hoc tanto ſumptu ædificatæ conteſtantur, & illa gladiorum Euangelij ſacri tempore euaginatio; quo Poloni Regum ſuorum inſtituto profiterentur, ſe pro illa veritate, diuinis expreſſa oraculis, millies occumbere, & ſanguinem cum vita profundere paratiores eſſe, quàm vel latum vnguem ab eis deflectere. Illos autem ritus Diuinos vnde quæſo potiùs, quam à Regibus ſuis didiciſſent. Vtraque igitur Domus fidei & veritatis Catholicæ ſemper extitit propugnatrix religioſiſsima.

Maiorum autem vtriuſq; Domus quàm felix, quàm numeroſa, quàm Diuina propagatio, à primis inde vſque exortus ſui temporibus deriuatur? Mitto deductam ab ipſo Hercule originem; recentiorum agmen vno quaſi obtutu conſidero. Miramur in Domo Auſtriaca ſemper Auguſtuſsima, Leopoldos, Chriſtianæ Religionis acceſſione procurandâ tantum inſignes, vt perpetuò Dei ſeruos, & Diuina verò amore complexi tuerentur; tantum virtute Martia præſtantes; vt hoſtes eam abundè fuerint

exper-

experti. Fridericos, in rebus maximis summo vsos consilio, magnanimitate, sapientia, fortitudine. Maximilianos iustitia, clementiâ, artibus belli & pacis eximios. Rudolphos, & inprimis Comitem illum Habspurgensem illiusq; omni æuo memorandam pietatem; quæ ita viua in illo Diuino pectore residebat. Quid mirum profligata ab eo ad Sissecium hostilis Turcarum exercitus viginti millia; item ad Albam Ianizerorum millia fermè quatuordecim; cum quo Deus Opt: Max: cuius ille tantus cultor esset, in omni bello & omni sua actione præstò adfuisset. Philippos, adiuncto illo qui Hispaniarum Rex erat maximus, ab Auo & suis atauis Cæsaribus ipse quoque Cæsar; qui si nulla virtute insignis haberetur, quibus plurimis & summis ornatissimus erat: tamen vnico Filio CAROLO Quinto æternùm claruisset, Imperatore Iustissimo, augustissimo, bellicosissimo, cuius laudum & commendationis breue suffecerit argumentum, illum 28. Regnis amplissimis præfuisse, atque felicissimum omnium egisse moderatorem. Illius PLVS VLTRA ad Gades & columnas Herculis bellica gloria propagata, occinit æternitati, gloriosum triumphatorem. De illo suus Illustrissimus Consiliarius ingeminabat; ei multò excelsiores fuisse animi cogitationes, & pectus ad suscipienda quæq; fortia paratius; statu illo suæ Maiestatis amplissimo. Quid FERDINANDOS, an non ita vt par est venerabundi admiramur? quorum alij ea vitæ florebant sanctimoniâ, vt diem exitus ex hac vita suorum reuelatione tutelarium, cognoscerent ac prædicerent, alios eorum tot virtutum & rerum gestarum trophæa, toti mundo Augustos verè

Impe-

Imperatores reddiderunt. Illorum gloria, tam firmis & solidis fidei & Religionis Catholicæ firmata fundamẽtis, vnà cum mundi annorumq; omnium cursu permanebit. Imò orbis aliquando euanescet, sed virtutes Sacratissimorum Imperatorum, Summus cæli Imperator, æternitatis in sui clara visione prœmijs coronabit. Quid autem? nonnè multa similia in Domo Iagelloniana, commemoranda Virorum & virtutum præconia, præstò habeamus? Annalium mihi monumenta omnia, iam ad finem collimanti; huc omninò essent transferenda. Sed quis hæc apud nos ignorat? cuius interest, vt ea perspecta habeat: Igitur verbo tango, & cortice nuclei Iliadem totam inuoluo; VLADISLAOS IAGELLONES, quibus literæ Sarmaticæ omnes, quidquid sunt & possunt, totum id in acceptis referre, nisi teneri se confiteantur, erunt ingratissimæ. Academia quidem Cracouien: æternam pijs manibus precata felicitatem, & Dei gloriosam in Patria visionem; totum quidquid continet, æterno diuino in hoc Regnum beneplacito & consilio: tandem suo fundatori, debere se confitetur. Equidem ille rectè inquit de nostro fundatore gloriosissimo.

Quàm multa in Regno struxit delubra Polono,
Monstrat gymnasium sat puto Croca tuum.

Quid? Ergoné vnica in Regno Poloniæ Academiâ à Magno olim VLADISLAO Iagellone fundata & constitutâ, eadem operâ templa, & domus sacræ sunt exædificatæ innumeræ? sanè sic, longo enim ac felici hinc ordine prodeunt Ciues optimi; qui Numinis æterni sunt cultores & veneratores candidissimi, feruentissimi. Sed

litera-

literarum tantum decus in Regnum introductum illum Regem ornauerat? imò ornat hucusque memoria præclarissima meritorum in Patriam, & rerum gestarum eximia celebritas. Nam

Rege sub hoc memorem suscepit Prussia cladem,
Sæpius & rigidus concidit ense Getes.

Alter VLADISLAVS flos ille Regnorum duorum Poloniæ & Vngariæ, nonnè gloriosè pugnauit cum hoste immanissimo? imò etiam gloriosè pro caris Regnis pugnando procubuit. Mox CASIMIRVS Iagellonides in Regem post Fratrem electus SIGISMVNDI Primi Pater: quem satis quina proles trium Regum, ac duorum Principum, ornatum, posteritati commendauisset.

Mirandum autem non est, quod non est inusitatum, eludi non raro Reges bellatores, fortunæ temeritate, omnia benè inchoata, pessimè inuertente. Ad Varnam noster ille fusus? quid tum? & Regum quisq; eo animo ad bellum descendit, vt vita & sanguine si vsus poscat, Patriæ charitati parentet. Ad syluam faginam IOANNIS ALBERTI parum optandus conflictus memoratur, sed ille stetit vel vicinorum perfidiâ, vel delicta hominũ Diuino puniente consilio.

Subsecutus ALEXANDER Iagellonides, domi æquitate, foris armorum præstantia, Rex commẽdatissim⁹. Fratrum Regum vltimus erat SIGISMVNDVS I. cuius virtutes, & rerum gestarum memoria, illo versu conseruatur.

Ciuibus externisq; mea est clementia nota,
Consilium, grauitas, relligio, atque fides.

Pax

Pax mihi cara fuit, tamen haud me impunè laceſſit
Teuto, Liuo, Moſchus, Turca, Scytha, atque Getes.

Patri optimo ſucceſsit SIGISMVNDVS AVGVSTVS, puer etiamnum à Polonis in Regem expetitus. Ex hac linea Domus auguſtæ, ſequuntur SIGISMVNDVS, bonæ & ſanctæ Rex memoriæ, & is ipſe, qui rebus & Regno Polono præeſt, moderator feliciſsimus VLADISLAVS IV. Nam ex Catharina ſorore Auguſti & Ioanne ERICI Suecorum Regis fratre Duce Filandiæ SIGISMVNDVS III. procreatus. Iam Erici & Ioannis maiores fuiſſe Reges armis & pace præſtantiſsimos, non ambigunt, qui Hiſtoriam rerum geſtarum magiſtram diligenter euoluunt. Ita verè SIGISMVNDVS III. Polonis à Deo Rex deſtinatus regnauit, vt Regem Polonorum regnaſſe oportebat, ſumma ſanctitate, fide, iuſtitia moderatione, felicitate, vſu rerum tanto, quantum Rex grauis & ſapiens, tot annis regnando poterat collegiſſe. Tu VLADISLAE Rex Potentiſsime, ſingulari Diuina benignitate ac prouidentia, ſolio & Regno paterno regendo conſeruatus es, filius illius Regis Optimi natu maximus, Patre etiam ſanctiſsimo ſuperſtite, de re patria & Regno vniuerſo meritiſsimus.

Tuæ igitur Sacræ Regiæ Maieſtati, ſanctam Diuini Matrimonij Felicitatem propenſiſsimis gratulati animis & votis; à Deo Opt: Max. ſupplices precamur, vt vnà cum aduentu Sereniſsimæ CÆCILIÆ RENATÆ, Coniugis Tuæ ſacratæ, renaſcantur Regno Polono; ac inprimis Tibi, eius Parenti Optimo, quæcunque boni omnes, ad communem Regni & gloriæ Tuæ amplitudinem pro-

pagandam, Tuamque apud omnem posteritatem. immortalem memoriam longè latèque promouendam, vigere, ac florere desideramus.

Sed iam res ipsa ac tempus admonent, vt vltimam Charitum Euphrosynen canentem audiamus.

Assurge felix gaudiis regnum nouis,
Lætoq; plausu, tange sydereas Domos;
Cum Rege Magno, Lechi gens ô inclyta:
Serenior iam fulgeat Phœbus Tuis
Regionibus; quas Vistula alluit minax.
Spectate Reges quos videt surgens dies,
Quosq; Pelago se conditurus aspicit,
Regina Sacræ maximum decus Domus,
Consors Monarchæ inuecta curru diuite,
Gemmis & auro parte qualibet nitet;
Quicquid decoris debitum est magni Laris.
Iamq; arce summâ constitit, florens, grauis
Regina, Regem (dicimus fausto omine)
Penes maritum, pulchra consors adstitit,
Decora, prudens, gratiarum tot sacris
Dotibus adaucta; lætior iam constitit,
Laribus serenis, Magne Rex rutilans Tuis:
Coniux beata, dulce solamen Domus.
Quidnam beatius aurifer Titan videt?
Quacunq; lumen aureum spargit celer
Quacunq; celeres pennas fama porrigit,
Varsoua præsidijs Tuis felicibus,
Festo recentis gaudij plausu potens?
Ingens tuarum gloria horarum nitet.

Beati-

Beatitatem habitura voti tam boni,
En quanta complexu tuo decora tenes,
Dum in te coruſcat ſocia Regalis thori
CÆCILIA, Regis aureo rutilans tholo.
Magni Dynaſtæ, currite ad plauſus nouos,
Ornate lætis Nuptias conuiuijs:
Quicquid per orbem gaudiorum ſpargitur,
Quicquid canoris fertur ad cælos choris,
Huc confluat, quà lambit ingens Viſtula
Agros feraces, arce Varſouiæ inclytos.
Ac fauſta mediâ luce ſigna proferat
Recentis orbe gaudij magni, noui.
Penitus inertes pectore ex imo procul
Curæ faceſſant: cauſa poſtulat vices
Iucundiores, gratiores, inclytas.
Quas meruit optimus Parens Patriæ, ſacer
Regni MONARCHA cum RENATA Coniuge.
Ergò fugata nube mærorum leues
Celebremus horas gaudij tam limpidi:
Parentur epulæ Regia dignæ Domo
Carmine canoro perſonent pulchri ſinus
Oræ beatæ, Regiis concentibus.
Belligera natio Martiis factis potens,
Contentionem prouocat res altera
Veſtram: iubente MARTE noſtro; promite
Lætoſq; cantus aureæ Cytharæ, manu
Docta; rotare gyros orbis, & chori.
Lætoſq; plauſus promite, & ſaltus leues

 Sed

Sed suauè blandos & graues & lumine
Dignos Monarchæ: Coniugis dignos suæ
Vultu sacrato: sic dies isti volunt
Peragi: decoris plausibus quos debitos
Reddit voluntas grata nobilium, sacro
Capiti libens: in læta consensu bono
Carmina, sonorâ quæ canit gratùm lyrâ
Reuerenter hilares concito veniunt gradu,
Fas omne maiestatis attendentibus
Oculis fouentes: Regios nutus ferunt.
Sed vnde venit, vel quis est hospes nouus?
Egon? video vel fallor: haud fallor: citus
Proceres adesse conspicitur hospes bonus,
O capita gratiosa adest hospes nouus?
Quis ille quæritis est? Hymen adest Hymen
Hymenæe gratus huc ades Hymen ô bone
Eia Viri & Proceres bonus præstò bonus
Hymen fauendo candidus pulsat flores
REX Magne gratus ecce præstò Hymen adest
Ne fugiat hospes gratiosè habebitur,
Leniter amæni iura surgant Hesperi
Iam roseus instat vesper ô vesper bonus
Hesperus inertes forte non ambit vagus
Moras. amænum procul imperat iubar
Fouere campos Hesperia quos excolit.
Hymen canit Io, concinunt & Regijs
Ædibus Io, Io voce personant graui, &
Omnia canendo perstrepunt Io bonum,

Io canendo vocibus lætis Io.
At nos MONARCHÆ cum RENATA lucidos
Annos precamur viuat ô par inclytum
Viuat beatum viuat innumeros dies.

Persoluerunt Charites Lechiacæ imò Academicæ, officium sanctum, solenne, laudabile; non exquisita pompâ, aut phalerato verborum ornatu splendidæ: at boni & synceri affectus, Monarchæ REGI cum REGINA Serenissimâ gratificandi & obsequendi plenissimæ. Ne tantùm quidem si oratione possent, quicquid tamen valerent, totum huc conferre tenerentur; quando Regia amplitudo gloriæ & solennitas sacrarum Nuptiarum, cõmuni omnium Ordinum suffragio decoratur. Hæ itaq; nostræ gratiæ, imò gratitudo Academica, demissũ Tuæ S. R. M. persoluit obsequium, in Tua solennitate, quam cupit esse omnium auspicatissimam. Non enim diffitemur, neq; sumus immemores, MONARCHA bellicocissime & felicissime, fontem istum, ad quem Charites nostræ resident, amplissimo Maiorum Tuorum stetisse beneficio. Quocircà Maiorum hîc Tuorum æternùm æterna vigebit memoria sanctitas, beneficium, & benignitatis monumenta sempiterna. Magni & Diuini VLADISLAI Iagellonis Domus ista, est omnis literariæ contentionis, omnis generis artium & literarum accessionis, continuò altrix & Parens optima, ditissima. Tu quoq; CÆCILIA RENATA Regina Serenissima, Domina nostra clementissima, ita nobis felix & benigna exoriare, vt olim HEDVIGIS Regina pietate insignis, summa prudentiâ incomparabilis, Magni illius Iagellonis VLADISLAI castissima

consors

consors, quæ commodis Academicis, dicam verius totius Regni Sarmatici certissimis bonarum literarum præsidijs, in constituenda in Polonia Academiâ, prospectum esse voluit. Illa nimirum anima sanctissima, incitamento fuerat vel maximo, vt Lycæum totius Sarmatiæ illis temporibus instaurandum, totam in se Regis optimi curam & cogitationem conuerteret. Equidem spe bona excitamur ad bene de omnibus rebus sperandum, cum in illo solenni Cracouiam ingressu, Te nobis Patronam & Palladem beneficam fore, Tuus disertissimus Cancellarius esset pollicitus. Nostrum erit tum pro salute S.R.M. tum pro Tua firmitate & exoptanda valetudine, votis & precibus ad Deum O.M. fundendis excubare; atq; orare suppliciter, vt Te omnibus bonis, tum prole felici, spe Regni amplissima, Diuina sua benedictione & gratia, saluam & incolumem, æterna benignitas consoletur.



